

siensis sive Senonensis), Leonis, Theodosii (Autissiodorensis) episcoporum de accepto Claudio presbytero criminoso obiurgantium confutat.

IV. Remigius (Remensis) archiepiscopus Falconem (Leodicensem) episcopum increpitat, quod in Mosomagensi loco, cuius ecclesia ad metropolim Remensem pertineat, ordinationes et exactiones fecerit.

V. Florianus abbas monasterii Romeni Nicetium (Trevirensen) archiepiscopum implorat, ut cum beatae memoriae viris Ennodio (Ticinensi) episcopo, Caesario (Arelatensi) episcopo, Theodato abbate et praecessore Floriani, quibus ipse singulari pietate coniunctus sit, sancti confessoris Ambrosii gratiam sibi expetat et pro Datio (Mediolanensi) episcopo suo exoret; quod concessum sibi nuntiet.

VI. Florianus abbas monasterii Romeni a Nicetio (Trevirensi) archiepiscopo petit, ut ea misericordia impulsus, qua confluentes de toto orbe captivos redimat, Theodebaldum regem adhortetur, ut servis eius Romanis insulae Lariensis, quae Christopolis dicitur, iureiurando promissa omnimodis serventur.

VII. Nicetius (Trevirensis) archiepiscopus Iustinianum imperatorem, qui Nestoriana et Eutychiana haeresi imbutus effecerat, ut orthodoxi persecutione vexarentur, exhortatur, ut et ad meliorem frugem se recipiat et a persecutione desistat.

VIII. Nicetius (Trevirensis) archiepiscopus litteris per legatos Langobardorum revertentes e Francorum regno missis Chlodosuindam reginam exemplo Chrodechildis, uxoris Chlodovei regis, usus obsecrat, ut coniugem Alboinum, regem Langobardorum, Arianum ad fidem rectam convertat.

IX. Germanus (Parisiensis) episcopus Brunechildam reginam quasi — ut ferat opinio plebis incusantis — Sigibertum regem coniugem ad quasdam Galliae partes bello delendas instigantem admonet, ut regis animum a feritate revocet; commendat legatum suum Gundulfum eiusque verbis fidem habendam esse asserit.

X. Aurelianus (Arelatensis) episcopus Theodebertum regem adulatur et exhortatur.

XI. Mapinius (Remensis) archiepiscopus, cum a Theodebaldo rege ad synodum in urbe Tullensium die Kalendarum Iuniarum celebrandam evocatus venire propter causam non declaratam nolisset, iam certior factus, de molestiis actum fuisse Nicetii, Nicetio (Trevirensi) archiepiscopo absentiam suam excusat.

XII. Dinamius (dux) amico cuidam gaudere se de acceptis litteris significat eumque ut pergat scribere hortatur.

XIII. Gogo (nutricius Childeberti II. regis) cumlatus